Słowakiewicz Stanislai: Quaestio medica de paralysi.

~~Науч. 662~~

QVÆSTIO MEDICA.
DE
PARALYSI
QVAM
M. STANISLAVS SLOWAKOWICZ
Phil: & Medicinæ DOCTOR, *Collega Minor.*
PVBLICÆ VELITATIONI
In peruetusta, & florentissima VNIVERSITATE CRACOVIENSI;
IN LECTORIO DD. THEOLOGORVM
Pro Loco
Inter Clarissimos, & Excellentissimos, Medicæ Facultatis Doctores, & Professores, possidendo;
EXPOSVIT.

Permissu Superiorum
Anno Domini 1675. Die Horâ

CRACOVIÆ
Typis VNIVERSITATIS.

IN STEMMA ALMÆ ACADEMIÆ CRAC:



Scire cupis, cur Regia fert ACADEMIA SCEPTRA?
Cur gemina? & ſanctâ conſociata Cruce?
Prolis ſceptrigeræ, Matrem quoq; SCEPTRA decebant,
Per quæ immortalis, fama, decusq; venit
Eſt ideò SCEPTRIS Cruce nexis clara duobus
Vt ni ſis patiens, poſtea nec ſapiens.

Pisces non alÿ quàm saxatiles, ÿque aromatibus conditi. Oua ne sint diu asseruata, non frixa, nec dura, sed tremula, & mollia. Lac & caseus excludendus. Butyrum modicè & cautè assumendum. Olera excalefacientia, & exsiccantia admittenda. Bulbi terræ, tùm quoq; cucurbitæ, melones, pepones, cucumeres denegandi. Fructus etiam arborum vnà cum nucibus proscribendi. Potus sit rarus, nec actu admodum frigidus. Vsus vini, præsertim immodicus, fugiendus. Morbo tamen declinante, ad ventriculi robur conseruandum, vinum antiquum, in modica quantitate concedendum. Ad extremum exercitium pleno ventre relinquendum: somnus non sit diuturnus, nec diurnus sed nocturnus. Et tandem animi pathemata fugienda.

A. M. D. G. B. V. M. H.

SVB FELICIBVS AVSPICIIS

Perillustris, Magnifici, & Admodùm Reuerendi Domini.

D. SIMONIS STANISLAI

MAKOWSKI

Sacræ Theologiæ Prof: Collegæ Maioris, Ecclesiæ Collegiatæ, S. Floriani Canonici, S. R. M. Secretarij, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Generalis RECTORIS Vigilantissimi.

Decanante interim in inclyta Medica Facultate

Clarissimo & Excellentissimo Domino

D. HYACINTHO

LOPACKI

Philosophiæ & Medicinæ Doctore, & Professore, Vrbis Crac: Senatore meritissimo.

QVÆSTIO

VTrum Paralyſis ſit motus, & ſenſus, in vna, vel pluribus partibus corporis, abolitio: prouenięns ex defectu ſpirituũ Animaliũ: à cerebro tanquàm principio, & fonte, ad partes muſculoſas, volũtatis imperio ſubiectas, non influentium: ob morboſum organorũ, ſenſui motuiq; dicatorum, affectũ; ex obſtructione, denſatione, compreſſione, & refrigeratione; ab humoribus craſſis, lentis, viſcidis, ac potiſſimùm pituitoſis, introductũ. Cureturq; præſidijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis, nec ne?

CONCLVSIO I.

Paralysis est motus, & sensus, in vna, vel pluribus partibus corporis, abolitio.

COROLLARIA

1. *Paralysis est symptoma facultatis Animalis Motricis, & sensificæ.*
2. *In Paralysi, manent actiones principes illæsæ.*
3. *Sublato sensu illæsò motu, & è contra; imperfecta est Paralysis; potior tamen illarum est, in qua deperditur motus, illæso sensu.*
4. *Paralysis, non omnes pariter afficit neruos: Aut enim spinalis medulla in exortu affecta est, & tunc omnes partes infra ceruicem resoluuntur, diciturq; Paraplegia: Aut dimidia tantùm spinalis medullæ pars afficitur, & tunc alterum corporis latus resolutum manet, fitq; Hemiplegia: Aut in quopiam neruo, vel eius exortu, morbosa affectio latet, tuncq; pars corporis solitaria laborat, & est particularis Paralysis.*
5. *Torpor est leuis quadam Paralysis: vnde ab*

aliys

aliјs non immeritò prodromus futuræ Paralysis appellatur.

CONCLVSIO II.

Paralysis subiectatur in partibus musculosis, voluntatis imperio subiectis.

COROLLARIA

1. *Musculus est immediatum motus voluntarij organum.*
2. *Nerui, sensus motusq́ organa, vtramq́ facultatem, sentiendi & mouendi habent.*
3. *Nerui, aliquando per idiopathiam, quandoq́ per sympathiam, afficiuntur in Paralysi.*
4. *Paralysis motum naturalem non violat.*
5. *Paralysis, Catochus seu Catalepsis, Torpor, stupor, spasmus, non distinguuntur inter se materialiter seu subiectiue.*

CONCLVSIO III.

Causa generalis vniuscuiusq; Paralysis, est defectus spirituum Animalium, in sensus motúsq; organa non influentium.

COROLLARIA

1. *Spiritus Animalis, est sentiendi mouendiq; instrumentum.*
2. *Facultas Animalis, solitaria, non influit in neruos, sine præsentia spiritus corporei.*
3. *Influit autem per irradiationem, non per spiritus.*
4. *Nerui sunt latores spirituum Animalium.*
5. *Etsi læsio Motricis, & sensificæ functionis, sit communis Apoplexiæ, Epilepsiæ, subeth, & Tetano, tamen Apoplexia, Epilepsia, subeth, & Tetanus, sunt affectus formaliter distincti à Paralysi.*

CONCLVSIO IV.

Obstructio, densatio, compressio, & refrigeratio: ab humoribus crassis, lentis, viscidis, ac potissimùm pituitosis; in organa sensui motuiq; dicata, introducta; causat defectum Animalis facultatis.

COROLLARIA

1. *Paralysis est morbus Intemperiei; Malæ compositio-*

positionis seu in via; & solutæ vnitatis.

2. *Sola mollificatio neruorum, ad constituendam Paralysim non sufficit.*

3. *Etsi humor pituitosus, permeans substantiam neruorum medullarem, sit frequentissima Paralysis causa, in spuria tamen Paralysi, reliquos humores, non omninò abdicandos esse censemus, cum Auicenna, & Neotericis.*

4. *Cerebrum, Neruus, & Musculus, & vt partes instrumentariæ, & vt partes similares, afficiuntur in Paralysi.*

5. *Frigus aeris, aquæ, lapidis, niuis, vina aliaq́ narcotica, torpedo marina, hidrargirum, somnus in loco humido, vel ædibus recenter calcinatis, radius lunæ, ebrietas, Venus, casus ab alto, luxatio vertebrarum, percussio, motus subitus, ira, metus, tristitia, sunt causæ procatarcticæ Paralysis.*

CONCLVSIO V.

Cerebrum est fons, & origo, spirituum Animalium.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Cerebrum, non ad refrigerationem cordis, vt voluit Aristoteles; sed ad functiones Animales sensificas, Motrices principes edendas, creatum est.*
2. *Cerebrum est principium neruorum primarium, medulla verò spinalis, secundarium.*
3. *Cerebrum est sensus motusq; principium.*
4. *Spiritus Animalis, distinguitur à spiritu Vitali & Naturali.*
5. *Spiritus Animalis, permeat substantiam neruorum medullarem.*

CONCLVSIO VI.

Paralysis curatur præsidijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

COROLLARIA.

1. *Indicatio præsidiorum in hoc morbo, (qui ad oculum patet, & est chronicus) sumenda est à subiecto, & â causa efficiente.*
2. *Phlebotomia, si sanguis vehementer peccet, in brachio partis sanæ facienda, parcè tamen,*

per

per partes sanas, & ante alia præsidia, sanguis educendus. Cucurbitulæ scarificatæ, & non scarificatæ, Cauteria, adhibenda.

3. *Ex* PHARMACIA, *præmissis Vacuantibus, & Alterantibus remediјs, Apophlegmatismi, Masticatoria, Errhina, sternutatoria, Dropaces, Phænigmi, sinapismi, Frictiones, tanquàm Reuellentia & Deriuantia: at verò Theriaca, Mithridatum, Aurea Alexandrina, Confectiò Anacardina, Electuaria, Aquæ Theriacales, &c. tanquàm Discutientia præsidia, in vsum Medicum ducendæ sunt. Illa quoq́ѕ, quæ à proprietate iuuant, negligi non debent, vt sunt Acorus saccaro vel melle conditus, cerebrum leporis assum, castoreum, grana pini matura, & sagapenum tantopere à Paulo Ægineta laudatum. Emplastra præterea, Cerata, olea, pinguedines humanæ, vulpis, vrsi, felis, taxonis &c. sacculi, cucuphæ, & alia topica, tùm parti resolutæ, tùm inprimis loco, vbi causa mali hæret, applicanda, vtiliter hîc inseruient. Cæterum si malum pertinax fuerit,*

ad De-

ad Decoctum Guaiaci, salsæ pariglia, sassafras, Radicis Chinæ; ad Balnea, luta PATAVINA, præsertim S. Bartholomæi; deniq; ad Thermas sulphureas, tanquàm ad sacram anchoram confugiendum est.

4. Hæc omnia dum fiunt remedia, capitis ratio perpetuò habenda est.

5. Inter sex res non naturales, habenda est in primis ratio AERIS, ne sit crassus, nebulosus, frigidus, humidus, suffocatus, fumo vel puluere affectus, stagno aut palude infectus. Deinde VICTVS, vt calefaciendi, siccandi, & attenuandi vim habeat. Non tamen aliquâ nimietate ægro sit molestus: in hoc enim affectu, nihil est perniciosius, quàm nimia cibi et potus repletio. Panis ne sit multùm fermentatus, flatuosus, adustus ab extra, & ab intra incoctus. Caro assa potiùs quàm elixa eligatur; non tamen bubula, nec agnina, nec suilla. Et quia Columbæ syluestres, Turtures, Hirundines, Cuculi, Cerebrum leporis, vi propriâ huic morbo resistunt, illis quoq; vti conueniet.

Pisces